

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Augustanae Confessionis Historiam, Rectore  
Magnificentissimo, Serenissimo ... Friderico Augusto,  
Principe Regio ... A Recentiorum Quorundam Corruptelis  
Breviter Vindicatam Dabunt**

**Wernsdorf, Gottlieb  
Seeger, Johann Friedrich**

**Vitembergae, 1705**

**§XXIII.**

[urn:nbn:de:bsz:31-67830](#)

rere primæ, minimeque mutatæ, eique soli Confessioni  
quæ anno 1530. Augustæ sit exhibita. Philippus autem  
t. t. restituit ea, quæ ante expunxerat, sententiamque suam  
in peculiari ad Palatinum scripto his verbis aperuit: *Per-*  
*spicue testati sumus: Nos amplecti & tueri communem consen-*  
*sum Ecclesiæ Catholice, quod in Cœna Domini, consecrato Pane*  
*& vino, VERE ET REALITER ADINT & sumantur C. & S.*  
*Domini. Testati etiam sumus: Nos IMPROBARE EOS, qui ne-*  
*gant adesse, & vere sumi corpus Christi. Vid. Hist. A. C. fol.*  
*300. & 306. & def. Pup. Sax. p. 374. seq.* Denique contra dixe-  
runt d.) Boni omnes, quod *Wigandus in Histor. A. C. p. 31.* &  
*Altenburgici l. c. insinuant.* Nemine ergo contradicente  
mutasse Confessionem Philippum, quod dicit *Strimesius*,  
prorsus a veritate alienum, multoque falsissimum est.

§. XXI. Restat, ut III.) videamus, an in Reformato-  
rum gratiam suscepta sit a Philippo mutatio? Negat id de-  
nuo *Strimesius*, duabus maxime rationibus, ut appareat, in-  
ductus. Primo a.) quia explodenda Transubstantiationi u-  
nica sit instituta, in Hex. p. 25. Sed enim vero 1.) verba no-  
stræ Confessionis Transubstantiationem Pontificiam sape-  
re, calumnia est, paulo ante in auctorum caput rejecta.  
Quod ergo nunquam affuit, excludi aliqua mutatione non  
debuit. 2.) Si demus, Transubstantiationem involutam  
fuisse, id sequitur, elenchum Cinglianis manifesto & initio  
*oppositum*, & in eorum *deinceps* gratiam *omissum* fuisse 3.)  
Imprimis notari debet, non *Germanicum*, in quo *solo* ver-  
ba illa leguntur: *Unter der Gestalt des Brods und Weins;*  
sed *Latinum* a Philippo mutatum esse exemplum, quod  
negari non potest. Quomodo igitur illud exemplum *ad*  
*explodendam Transubstantiationem unice potuit mutari*, in  
quo verba, quæ sapere Transubstantiationem dicuntur,  
nunquam extiterunt? Ast urget secundo b.) p. 28. adver-  
farius: *mutationem istam Calviniana sententia nulla ex par-*  
*te magis favere, quam ipsum invariatum articulum:* Et *Cal-*

vinianos sub *invariata* perinde sententiam suam occultare posse, ut sub *variata*. Respondeamus: si hoc, cur ergo *variata* Confessionem *invariata* anteferunt, imo anteferendam esse contendunt? Cur pro auctoritate mutatae Confessionis tanto argumentorum numero propugnant? aut, ubi ad subscribendum se offerunt, *tria*, cum *Bergio*, vel *plura* etiam, capita excipiunt? Cur eorundem Majores primæ isti in comitiis subscribere recusarunt? Cur mutandi necessitatem ob incrustatum Transubstantiationis dogma defendunt? Si eadem facilitate suam sub *mutata* Confessione occultare sententiam possunt, qua sub *non-mutata*, quo jure se *utriusque* socios profitentur ac jactant? Occultare sententiam, & latebras quærere, *insidiosi est, & mendacis, non ingenui Confessoris.* Errori & mendacio, pigmentis, coloribus, latibus opus est: non *veritati*, quæ lucem, candorem, simplicitatem amat. Cumque id sua quemque ratio doceat, sententiam, quæ occultatur, & eam, sub qua occultatur, substantialiter differre, qua specie antea negabat Strimesius, Calvinianorum sententiam a non-mutata Confessionis opinione substantialiter differre, aut quo jure illius se Confessionis socios appellabunt, sub *latent ipsi, & ingenuis Confessoribus insidias struunt?* Quod tamen pari facilitate sub *non-mutata*, qua sub *mutata*, fieri posse nego, dum, quoad sensus verborum *primus ac proprius* (qualem, pro indole confitendi, ab auctoribus usurpatum fuisse semper est præsumendum) defendatur, illud *vere adesse ac distribui* in non-mutata Confessione nisi de vera realique, & substantiali præsentia C. & S. C. in S. coena accipi nequeat, appositusque elenches contrariam sententiam, quam tamen adhuc Reformati tuentur, manifesto stringat, & improbet. Sed hæc pie meditanda relinquimus adversario: Nos, persolutis Numinis gratiis, hoc in spirio finimus: *Sanctifica nos, PATER, in veritate verbum tuum est veritas! Amen!*

S. D. G.